



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCIX. Ioannis Papae VIII. Ad Pvlcarem Praefectvm. Arguit, quod nec foedus cum Paganis ictum ruperit, nec ditionem sancti Petri, sicut promiserat, defenderit. praecipit, vt pecuniam pro ea re ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCVIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LANDVLFVM PRESBYTERVM.

Laudat eum, quod ad propinquorum suorum insidias eu-  
tandas Capua fuerit egressus, & in discordiis sedandis  
elaboret. significat Traiectum se iturum, ibique de  
eius electione deliberaturum.

*Landulfo venerabili presbytero, & electo.*

**Q**VIA discordantium parentum tuorum insidias de-  
clinando, & ex vrbe Capuana egrediendo, in anti-  
qua sanctæ ecclesiæ Capuanæ sede, nomine videlicet  
sancti Stephani protomartyris resurgente, nunc habitare  
te afferis, atque cum vicinis episcopis assidue decertas, vt  
male diuisos adunare atque discordantes pacificare, Deo  
fauente, possis, gratum receperimus. **Quia** & ante suscep-  
ptum officium ea quæ sunt boni pastoris peragis, in quo  
scilicet, vt perseueres hortamur, vsque ad nostrum spe-  
cialem aduentum; quoniam, Deo propitio pro vestrum  
omnium salute, concordia & pace, Kalendis Octobri-  
bus volumus Traiectum venire, ibique cum Guaiferio  
glorioso principe, & cum aliis eximiis parentibus tuis lo-  
qui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis sunt ne-  
cessaria, veltræque paci & utilitati proficia, & tunc pro-  
uectionem tuam, secundum sacros Canones, omnibus  
pacificatis, peragere.

EPISTOLA CCIX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PVLCAREM PRÆFECTVM.

Arguit, quod nec foeditis cum Paganis iustum ruperit, nec  
ditionem sancti Petri, sicut promiserat, defen-  
derit. præcipit, vt pecuniam pro ea re  
datam ad se remittat.

*Dilecto viro Pulcari præfecto.*

**P**RO salute animæ tuæ, ac pro defensione totius Chri-  
stianitatis, quæ tecum Paganis pactum habente, quo-  
tidie deprædatur, atque in diram ducitur captiuitatem,

multa tibi, & populo tuo, quæ postulasti, fecimus bona. Insuper decem millia mancosorum argenti dedimus tibi, vt terram sancti Petri rupto fœdere Paganorum defenderes; quod tu cum tuis per iusurandum facere promisisti, sed timore iudicij Dei postposito, neque paetum iniustum disrumpere voluisti, neque propter iusurandum litora nostra defendere, sed potius deprendari diabolico iam iuri subiectus, permittis, & in animæ tuae perditionem consentis, oues precioso Christi cruento acquisitas duci captivas. Et ideo dignum est, vt ipsos mancosos, quos tibi pro defensione terræ nostræ dedimus, recipiamus. Quapropter volumus, vt eosdem mancosos per tuos fideles Amalfitanos usque in portum urbis Romanæ nobis nauigio venientes remandes; quoniam ipsi Amalfitani salui & securi ibi manebunt: & tunc accepta prius a nobis securitatis sponsione, præfatos mancosos nobis reddere procurent; quatenus nostra recipientes, nullam tibi, vel populo tuo inferamus calumniam. Nam & dromonibus nostris præcepimus, vt nullo modo aliquam populo tuo faciant contrarietatem, si tamen nobis ipsos mancosos saluos reddideris.

## EPISTOLA CCX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MONACHOS PULTARIENSIS COENOBII.

Dolet de eorum calamitatibus, & significat se ipsorum causa Bosoni principi, atque Hugoni abbatii scripsisse ut eos tutentur. exemplar etiam testamenti Gerardi fundatoris Ansegiso archiepiscopo, & Conrado comiti misisse.

*Sanctæ congregationi summi apostolorum principis Petri cœnobii nostri Pultariensis.*

**C**OGNOSCAT pro certo fraternitas vestra, nos relectis literis vestris, protantis aduersitatibus, quas ab inquis quotidie sustinetis hominibus, valde tristes existere: quoniam sicut de vestra prosperitate gaudemus, ita quoque & de vestra tribulatione tristamur. Vnde volentes sanctam congregationem vestram, ut pote dominicum gregem in ipso apostolorum principe nobis commissum, saluam & quietam habere, direximus secundum petitionem vestram